



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De Monasterio Monialium. Cap. XXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

De fenestra altaris.

**C**autio sit, vt fenestra altaris clathrata ita constituatur, nè inde in viam publicam, præsertim vbi spectacula aguntur, aut multitudinis frequens transitus est, prospici possit.

Cui rei, vt occurratur, atrium paruum pro foribus ecclesiæ extruendum est: cuius atrij ianua ab aliquo latere sit, quod ipsis foribus ecclesiæ recta nõ respondeat; aut certe si aliud fieri non possit, ipsius ecclesiæ aditus è latere sit: idque architecti iudicio pro situs ratione.

De ecclesia interiori.

**E**cclēsia interior vna tantum nauis constet, sine vllis cappellis: pavimento vndiq; æquali sit, neque ab vlla parte gradibus paulò altior.

Illud item pavementum æquale sit pavimento, vbi altare extrinsecus collocatum est.

Illud vbi maximè potest, cauendum est, nè monialium ecclesia interior præpè vias publicas extruatur: quæ si pro situs ratione exædificetur aliquando necesse est, nè à pariete, qui ad vias publicas vergit, fenestræ fiant; sed lumen excipiat à parte quæ monasterium attingit: contraq; fiat in ecclesia exteriori, cuius fenestræ non à monasterio, sed à via publica sint.

De turri campanili.

**T**urris Campanilis ecclesiæ interiori monialiũ coniuncta esse debet: cuius neq; ostium, neq; fenestra, ac nè rima quidem vlla, in ecclesiam exteriorem aliqua ex parte spectet.

Altè extruatur pro ecclesiæ ratione, ita tamen, vt humilior, ac depressior existat, quàm structuræ forma modusque postulet.

Primum eius tabulatum fornice benè firma constet: in qua, vel ab aliquo latere inesse potest ostiolum angustum, per quod cum necesse erit, ad summam turrim ascensus detur: neque aliunde aditus pateat.

At foramina exigua sint, per quæ tracto rij campanarum funes tantum ducantur. Ostiolum verò illud ita compactum sit,

vt claudatur pessulis binis, seris binis, clauibus binis, opere fabrilis diuerso.

Reliqua superiora tabulata ex materia lignea esse poterunt: lumen excipient ex fenestriculis exiguis, ipsdemque clathratis: summum verò fenestras, vt moris est habebit.

**DE MONASTERIO MONIALIUM. Cap. XXXIII.**

**E**cclēsiæ monialium adiunctum est illarum monasterium: de quo demum restat, vt instructionem aliquam breui conscribamus.

Primò monasterij huius situs deligatur, qui ex canonis Agathensis cautione, procul vt par est, absit, cum à monachorum regulariumve monasterijs, tum etiam à canonicalibus clericalibusve ædibus, ecclesijs collegiatis, à turribus, à mœnijs publicis, propugnaculis, vallo, arce, & à præaltis ædificijs, vnde etiam prospectus intrò esse possit.

Laicali porrò edificio coniunctum, vbi fieri potest, nulla parte sit: sed aliquo in teruallo disiunctum, ac separatum.

Longè item à plateis, emporijs, omniforo, viarq; deniq; qua iumenta, currus, vehicula, aliaq; id generis crebrius agi ducive solent; & à locis item, vbi multitudinis, vel concursatio, vel conuentus, vel strepitus sit.

Rursus cautio etiam sit, nè eius monasterij positio eligatur in loco abdito, occulto, valdeq; admodum remoto ab hominũ frequentia: nè præterea (quod sacra Tridentina Synodus à monasterij monialium ratione alienum censuit) extra vrbis, oppidi, alteriusve loci mœnia vllò sanè modo.

Loca huius monasterij omnibus partibus absoluti, de quibus infra sigillatim dicemus, hæc sunt, pro vario vsu distincta.

Ac primò quidem inferiora.

Atrium Capituli.

Triclinium, quod Refectorium dicunt.

Cella vinaria.

Coquina.

Locus Calefactionis.

Locus vasis aquarij ad manus abluendas.

**Y** Locus

Cōc. Agath. cap. 8. 18. q. 2. Monast. puell.

Sess. 25. de regul. & monial. cap. 5.

Locus Laborum.  
 Porticus.  
 Cella interior, & exterior ad colloca-  
 tionis vsum.  
 Ianuæ.  
 Rotæ.  
 Furnus.  
 Locus lauationis.  
 Tonstrina.  
 Locus Cancellariæ.  
 Promptuarium.  
 Officina aromataria.

## Loca superiora.

**L**ocus Dormitionis, aut cellæ dor-  
 mitoria.  
 Locus scholæ Nouitiarum.  
 Locus vestiarius.  
 Horreum.

## Loca distincta.

**V**oletudinarium.  
 Locus educationis puellarum.  
 Viridarium.  
 Carcer, & locus secessionis.  
 Locus interior, & exterior confessionis.  
 Diuerforium item exterius colonorum  
 aduenientium.  
 Diuerforium confessarij sacerdotis.

## De Atriolo Capituli.

**A**triolum in quo capitularis mo-  
 nialium cœuentus habetur, magnū  
 esse debet pro monialium numero, con-  
 situtis ab omni parte sedilibus.  
 Forma sit non oblonga, nec verò angu-  
 sta; sed quoad eius fieri potest, quadra-  
 ta specie potius; vt quando à præfecta  
 cohortatio monitione sit, vndiq; com-  
 modius exaudiatur.  
 Subobscurum potius esse debet quàm il-  
 lustre: tum præterea picturis aliquot pie-  
 tatem excitantibus ornatum; ab ea præ-  
 fertim parte, in qua præfectæ sedile col-  
 locatum est.

## De refectorio, &amp; cella vinaria.

**T**riclinium, quod Refectorium vo-  
 cant, loco exstruatur, qui cæteris  
 monasterij partibus commodior sit.  
 Structura ampla fiat, quæ commodè ca-  
 piat non modò moniales omnes ab om-  
 ni parte parietum sedentes; sed ali-

quantò etiam plures, quas deinceps in  
 monasterium pro illius amplitudine, fa-  
 cultatumque ratione recipi posse veri-  
 simile est.

Habeat à capite ornatum sacrarum ima-  
 ginum piè decoreq; pictarum: ab vno et-  
 iam latere suggestum in medio parie-  
 te exstructum, vnde sacra lectio commo-  
 dè in omni parte audiatur.  
 Fenestras item ab vtroque latere, vnde  
 lux hauriatur.

Cellam præterea vinariã subtus ex-  
 edificatam; quæ fenestras itidem habeat  
 ordine recteq; partitas.

Vtriq; loco, Triclinio scilicet, & cel-  
 læ vinariæ, locus alius propè esse debet,  
 isque vsui præfectæ cellæ vinariæ, ad la-  
 genas, crateras testaceas, vasaq; eiusmo-  
 di vinaria, & aquaria reponenda: aut si  
 fieri potest, ob eum ipsum vsum cohors  
 paruula cum puteo.

## De Coquina.

**C**oquinæ positio, vt maximè potest,  
 triclinio propè sit; vt inde per fe-  
 nestram, aut paruulo vestibulo interie-  
 cto, fercula lanceisve exponantur moni-  
 alibus in triclinio ministrantibus.  
 Eius situs ample patere debet, camino,  
 qui illius magnitudini pro ratione re-  
 spondeat, exstructo; libano item paruo,  
 in quo esculenta coquantur.

Huic coquinariæ structure loca hæc ad  
 eiusdem vsum adiuncta esse debent; cel-  
 la, vbi cocti cibi dimeusio fit; cella pro-  
 ptuaria penariave esculenti obsoniue  
 quotidiani; locus ad lances, ollas, vasa-  
 ve escaria lauanda; & cohors præterea  
 ab alijs separata cum puteo: vnde si a-  
 qua tubulis ligneis ductilibus hauritur,  
 adhiberi accommodariue poterunt can-  
 nales plumbei, aut lignei, alteriusve  
 generis, per quos prout opus crit, aqua  
 in locum lauationis, & in coquinam du-  
 catur.

Alia item cohors exstruetur ad galli-  
 narij vsum.

## De loco lauationis manuum.

**L**ocus vasis labriue aquarij, ad quæ  
 moniales antequam mensæ benedi-  
 cant, manus abluturæ conueniunt, à tri-  
 clinio, & ab atriolo capituli non longè  
 ex-

extrui debet; ea porrò magnitudine, quæ monialium numero respondeat. Quo loco malluuium, vas scilicet aquarium, vel marmoreum, vel æneum, alteriusve generis in pariete agglutinatum, totidem papillas habeat, quot eius longitudo requirit: subtus exædificato præterea sinu aquario concavo, & accliuo, vnde per foramina, quæ è malluuiò effluens aliò deriuetur.

## De loco calefactionis.

**L**ocus calefactionis, quem hypocaustum dicunt, camerata scilicet structura, vbi igne succensò moniales per hyemem ad calefaciendum conueniunt; exædificari potest nõ longè à triclinio, & loco lauacionis manuum: isque tantæ magnitudinis esse debet, quanta numerum earum capiat.

Caminum structilem quaquà versum late patentem habeat, aut parieti herentem, aut in medio exstructum; vt ab omni parte locus sit ad calefendum.

## De loco laborum.

**L**oci laborum, quò ad opera manibus elaboranda, moniales certis horis conueniunt, situs illustris esse debet, nec ab vlla parte subobscurus; vt vndiq; lumen hauriatur, quod in laboribus cõficiendis, & in operibus, vel contexendis, vel acupingendis elaborandisve necessariò requiritur.

Sit item per amplius, & structura eiusmodi, quæ locus luminosus reddatur.

## De porticibus.

**P**orticus simplices sint, nempe è simplicibus columnarum, aut pilastratarum ordine constructæ: atque adeo structura omni humili potius, quàm magnifica, & sumptuosa: ab omniq; parte ductæ, quadriformam præbeant.

Hæ, vt alæ supra expositæ ædificationes, tecto laqueato, aliove ligneo opere constare possunt: at ob perpetuitatẽ, tum etiam, vt periculum incendij cautius cuitatur, opere fornicato potius fieri debent.

## De cellis collocutionis.

**C**ella collocutionis, & interior, & exterior, loco non semoto neq; abdito, sed publico perspicuoque extrui debet, ac propè monasterij ostium auditorij.

Interioris cellæ fenestræ lumen à monasterio intrinsecus excipiant; exterioris verò, à parte quæ extrinsecus est.

Porrò illa cautio adhibeatur, vt præter vnam, pluresve fenestras ad collocutionem accommodatas, in pariete inter vtramque cellam interiecto nulla omnino alia insit.

## De fenestris collocutionis.

**F**enestra collocutionis benè munita sit opere clathrato ferreo duplici, vnciarum circiter duodecim interuallo inter vnum, & alterum interiecto.

Opus verò clathratum eiusmodi sit, vt spissi clathri firmiter infixi inter se singuli, non amplius distent vncijs tribus. Instruatur præterea lamina ferrea: quæ latius paulò quàm fenestra vndiq; patens, à parte monasterij intus parieti infixa, firmoq; bitumine agglutinata, clathrato opere interiori adhærescat.

Sit verò plena aliquot foraminibus magnitudine ciceris, isdemq; inter se distantibus spatio vnciarum circiter triu. Habeat item fenestellulam in medio exstructã, vncias sexdecim vndiq; patetẽ: quæ sera, vecte & claue claudatur.

Obducatur item fenestra intrinsecus tela nigri coloris affixa, instrumento telari quod aperiri queat.

Quibus porrò in monasterij illud ordinis, regulæq; institutum est, vt è fenestra collocutionis nullus monialiu conspectus detur, in ijs illa fenestra simplici tantum opere clathrato instructa, & lamina ferrea obducta sit, quæ nullam fenestellulam habeat; & telare eiusmodi quod non aperiatur.

Vbi ob monialium multitudinem, duabus, tribusve, aut pluribus ad collocutionem fenestris opus est: eas vno in loco cellave, si commodum est, intus extrui expedit ad rationem præscriptã: ita tamen, vt rectã ordineq; longè ductæ, spatium inter se habeant quatuor, vel quinque cubitorum.

Distingui tamen, ac separari illæ poterunt pariete interiecto; si modò in eo fenestra apertura ve sit, vnde monialis ad elathratam collocationis fenestrâ colloquens, ab alijs quæ in cæteris deinceps fenestris colloquuntur, rectè conspiciantur.

Nec verò rota ductilis in vilo collocationis loco imponatur constituaturve, nisi in vno tantum; nempe in fenestra ad eam rotæ collocationem potissimum accommodata.

#### De Ianuis.

**I**anua duæ tantum, vt par est, in monasterio struantur; vna, quæ auditorij dicitur, vsui ad ingressus necessarios; altera ad iumenta, currus, vehiculave agenda.

Illæ prior loco non obscuro neq; occulto, sed conspicuo, omnibusq; monasterij partibus commode fiat; nec verò ample pateat: valuis benè firmis duplici asferre confectis, & vestibibus, pessulisve binis, & clauibus fabrilis opere inter se differentibus claudatur.

In ijs porrò valuis ostiolum præterea construat, idemq; firmissimis valuis, fera, aut veste, pessulo, clauèq; duplici, ac diuersa munitum; vt ne ob rem miniam ianua grandior aperiatur pateatve necesse sit.

In his valuis insit exigua fenestricula, vel orbicularis, vel quadrangula, vel alia quavis forma: nec amplius vndique pateat quinque, aut sex vncijs.

Muniatur lamina ferrea, minutis foratibus grano millij non maioribus plena: intrinsecus præterea obtegatur crassa tela, aut tenui tabella: quæ reuolui possit, cum foras prospectatur.

Situs autem ianua huius is esse debet, vt inde, cum fores aliquando aperiuntur, nullus monialibus prospectus in viâ publicam esse possit, sed impediatur obstruatve atrio aliquo interiecto: aut ianua à latere aliquo fiat, vt de non rectè eò spectetur, sed in aliquem vestibuli parietem proximum.

Ianua porrò limen eum marmore lapideve solido sit, atque eiusmodi, quod stricim illam attingat.

Antepagmenta item vtrunq; ianuae la-

tus firmiter muniant: ab omniq; parte valuis arctissime cohærescant.

Rimæ præterea tum ianua, tum ostioli, ita benè compactæ commissæ esse debent, vt nullum nè tenuissimum quidem conspicillum insit.

Huic ianua proxima esse struive debet paruula cella: vbi ianitrices opus faciant, indeq; fores pulsantibus præstò sint, vt respondeant.

Proximè item rota constituitur, quæ ad eam iantricium cellam, aut ad locum proximum spectet.

Ianua altera vehicularis loco item conspicuo extruatur, tanta sanè magnitudine, quanta vsui esse potest ad vehicula, cisa plaustrave agenda.

Limine lapideo, vt supra marmorato constare debet, vt nè exigua quidè rei exitus relinquatur.

Nullum verò ostiolum planè habeat.

Valuis duplicibus, vestibibus firmissimis, clauiumq; duplicium, at opere fabrilis distinctarum firmitudine, vt altera instructa sit.

Præterea opus valuarum duplicatum in vno pariete adhiberi potest; vnum scilicet intrinsecus à parte monialium, alterum forinsecus à via publica.

Ianua hæc ad eam monasterij partem struatur, vbi & lignile, & cella carbonaria ad coquinæ vium, & apotheca vinaria commodè esse possit.

Procul ab hac ianua quatuor, aut quinque cubitis, intus in monasterio transfenna ex asseribus quernes roboreisve ijs singulis spatio vnciarum circiter trium inter se distantibus, aut ex alia firmissima materia, eodem interuallo conficiatur: quæ vsque ad ianua culmen altè ducta, vestibibus suis, fera, & clauibus benè claudatur.

#### De rotis.

**R**ota, vel in ecclesia, vel propè ianuam, vel alio loco ad præscriptum constituta, aut cinea sit, aut lignea, ab omni parte laminis, quas de tola dicunt, diligenter vestita.

Altè pateat cubitum, & vncias octo; latè cubitum item: at ab ore nè latius vncijs sexdecim.

Tota denique rectè commissæ, apteque

com

compacta sit, vt ne rimula quidem ab vlla omnino parte sit appareatve, vnde foras spectetur.

Intrinsicus à parte monasterij vncum ferreum, aut vectem paruulum firmiter infixum habeat, quo obfirmetur, nè forinsecus circumagi possit, nisi à monialibus, quæ intus sunt, relaxetur. Claudatur etiam ab interiori parte firmis, valuis, vecte, sera, & clauis.

## De furno.

**F**urnus, à loco cubiculari quæ dormitorium vocat, & vestiario, vt longissimè pro situs ratione potest, extruatur, nè vllum incendij periculum inde creetur.

Huic propè struatür farinariū, loco vel superiori, uel inferiori, vel alio quouis commodiori: alter item locus, vbi incernicula, cribra, cæteraq; instrumenta farinaria reponuntur: nisi farinarium eiusmodi sit, quod hæc etiam commodè capiat: tertius præterea locus erit panificij, vbi panis scilicet fit, & fermetatur: isque vndiq; benè conclusus, & consipatus.

Huic panificij loco, & puteus, & paruulus furnus cum ahenis coniuncti sint.

In præfurnio foramen cubitale insit: per quod carbones candentes, omnifve pruna furnaria in fossam subtus fornice substructam demittatur.

A parte superiore furni paruulum vaporarium, vulgè [la stufetta] extruatur: quod multiplici vsui esse poterit.

Nec verò in exadificatione furni negligenda ratio est loti, vbi ligna arida, aliaq; materia commodè esse possit ad furni calefaciendi vsum.

## De loco lauationis.

**L**ocus lauationis viridario hortifve proximus esse debet ob id commodi, vt quæ lota madidave sunt, in ijs loco aprico expandantur, soli que exponantur.

Si horti desunt, structura fiat, ad quam gradibus scalisve ascendatur: vbi à summo porticus pensiles sint, longurijs periticisve rectis, ac transuersalibus distincta: vnde vestes, stragula, lintheamina, & alia lota id generis quæcunq; soli ex

posita pendeant, vt afficescant.

Hæc porrò structura loco aprico sit, nè sublimis admodum, vt ne inde aliorum extra monasterij fines prospectus fiat.

Si quando verò is lauationis locus præ situs angustijs extrui in plano monasterij non potest, subtus commodè extruatur.

Porrò lauationis locus amplè satis patere debet, paumento etiam latericio, aliave materia constratus: habeat puteum, vnde tympano (quod rotæ hauritoræ genus [la tromba] dicunt) aqua hauriatur: habeat item labra aquaria lapidea, furnulos clibanosve cum ahenis. Huic loco subternatur fossa lacunave profundè ample que effossa, in quam aqua diffusa descendat.

Huic etiam coniuncta sit cella carbonaria: è qua carbones promantur ad ahenam calefaciendam.

## De tonstrina.

**L**auacri loco propè esse cõuenit conriceum, nempè tonstrinam: vbi moniales capita lauent.

Sit in tonstrina caminus, furnus exiguus, ahenum furno impositum ad lixiuij conficiendi vsum, & receptaculum aquæ fordidæ.

## De loco Cancellariæ.

**C**ancellariæ situs deligatur loco monasterij commodissimo, & luminoso admodum: quo loco benè materiata cella exadificetur, vbi præfectæ monialium cõueniant ad putandas subducendasve monasterij rationes.

Sit hæc cella tabularum constructione vndiq; cincta sit tybis, armarijs, ac forulis distincta: in quibus codices rationū monasterij, aduersaria, volumina accepti, & expensis, scripta, instrumenta, actavè publica ad monasterij ius quouis modo pertinètia accuratè asseruari possint, & arcæ item nummaria, aliaq; præterea id generis.

Binis clauibus, feris totidem, vectibus etiam binis, duplicibus quoq; firmissimis foribus claudatur.

## De promptuario.

**D**E cella penaria ad esculenti quodtidiani vsum accommodata diximus: sed habenda etiam ratio est promptuarij; loci scilicet, vbi frugum, leguminum, olei, & aliarum rerum, quæ ad annonaria cibaria pertinent, annona reconditur; indeq; rursus prout vsu venit, promittitur.

Promptuarium hoc extruatur loco semoto: opere tectorio, pypstatove vndique dense ita incrustetur, vt ne rima quidem vsquam appareat; quod cautius muribus foricibusve omnis foratus penitus præclusus sit.

Habeat capsas, cistas, fiscinas, & vasa quæque repositoria suis locis distincta. Claudatur duplici sera, clauæq; diuerso opere confecta.

## De officina aromataria.

**M**onasterij vsui officina aromataria medicamentaria esse potest: in qua, & si nõ omne medicinae genus asseruatur, ea tamen simplicia medicamenta quæ facile conficiuntur, quæq; ad subitanei morbi accessiones depellendas, aut mitigandas valent, inesse debent. Huius officinae medicamentariae situs procul sit aliquantulum ab ecclesia, à loco laborum, ab omni deniq; monasterij parte, quæ strepitibus exposita esse non debet: cum hæc ob herbarum contusionem, medicamentorum confectioem, multiplicem mortarij situm, frequentemque conuersationem, ab illis vacua non sit.

Loco existruatur non æstuoso, sed subalido potius.

Distincta sit intus afferibus parieti agglutinatis infixisve, certo aliquo spatio singulis inter se disunctis: inter quos transuer salæ tabulæ aliquot firmis fulcimentis subnixæ infigantur, in quibus tanquam certis repositorijs vasa quæque aromataria ordine collocentur.

Huius officinae propè adiuncta sit parua cella: vbi aquæ distillatae, & reliqua vascula vnguentaria medicamentaria ve asseruentur.

Hæc verò cella suppleat, si quando officina tabernave vasa hæc non capit.

Altera præterea subfrigida itidem: vbi herba, vasaq; ad distillandi vsum reponuntur, & carbonum aliquantulum.

In vna ex his cellis caminus struatur. Aquariolum item sit, vnde aqua in suffossam lacunam deducatur.

Si præterea cohortis cum puteo locus dari possit, multum afferret commoditatis: si minus, hæc aromataria officinae structura propè puteum fiat.

Atque hæc quidem de inferioribus monasterij partibus: nunc ad superiores transeamus.

De superioribus monasterij partibus: ac primùm de atrio cubiculari, siue loco dormitionis.

**S**uperiores monasterij partes initio commemorauimus: in ijs potissimum cautio diligens certa; ratio habenda est atrij cubicularis, quod Dormitorium dicunt.

Primò igitur eius situs loco deligatur, qui non patiatur cæli gravitatem; sed ad eam partem vergat, vbi pro climatis ratione aer non aduersus sit, nõ crassus, non concretus.

Sit verò in primis nulli ferustuti expositus, vt aliunde introrsum prospiciatur: aut eius luminibus extrinsecus alia parietis ædificijve substructione officiat: neque rursus inde aliorum prospiciatur.

Atrium cubiculare, prout structurae inferioris ratio fert, monialiumq; numerus postulat, triplex, aut quadruplex erit; ita vt in omni claustrij parte vnum sit: idque tanta latitudine, & longitudine, quanta est ædificatio locorum inferiorum.

Ab vnoquoque atrij capite fenestreae grandiores vnde lux hauriatur, struantur, à pavimento præaltæ sex, aut septem cubitis.

Firmiter verò clathratae sint, & opere præterea vitreo pellucido obductæ oportet: ita tamen, vt superior earum pars ad aeris conclusi euaporationem aperiri aliquando possit.

Sin autem ab atrij latere aliqua fenestricula etiam opus est; fiat ab ea parte tantum, quæ in claustrum vergit.

Atrium vnumquodque in partes diuisum

sum exiguis cellis distinguetur: quæ singulæ quinque aut sex cubitis amplæ, stercis densè contextis, aut telis, tentorio siue expansis separabuntur.

Quòd si atria dormitionis communia (sicut ita fieri debere instituti antiqui ratio suadet) non fient; sed propriæ cubicularum cellæ separatim distincte quæ extruentur; eæ inter se proximæ cõiunctæq; esse debent, & ordine ab utroque latere ductæ, aditu medio interiecto, in quadrum si fieri potest, definient.

Hæ nẽ amplæ sint, sed ab omni parte cubitorum circiter septem magnitudine paruum lectulum capiant.

Simplici humiliq; structura sint, nullaq; pictura.

Fenestriculam vnam tantum habeant singulæ.

Ostiolum item: quod non fera, aut vetite claudatur, sed pœsulo (quod alzapiede dicunt) valuis ita affixo, vt forinsecus funiculo attracto faciẽ aperiat; caminum verò nullum omnino.

Si quando maiori aliquantò amplitudine cellæ struendæ erunt; cautio omnino adhibeat, vt in ijs spatium detur, quod lectulos tres salte capiat, vel plures arbitratu superioris; duos autem dumtaxat nullo modo.

Cautio præterea sit, vt fenestra nulla struatur, vnde extra monasterij fines spectetur: si quæ verò, aut in vlla cella, aut alio loco superiori fiat necesse est, è qua vel in hortos, vel in loca proxima prospectus sit: huius fenestræ antis, seu pilastratis clathra ferrea vndiq; infigatur firmissimè: quibus forinsecus spatium cubiti vnus dimidij opponatur trāsenna, è marmore, aut è laminis ferreis cõfecta, foraminibusq; vncialibus plena, & totam fenestram ab omni parte complectens, parieti suffixa coherescat.

Nulla porrò ne exigua quidẽ fenestricula, neq; in inferioribus, nec in superioribus monasterij partibus extruatur, vnde in viam publicam prospectetur.

Atria deniq; dormitionis, siue communia, siue cellis proprijs distincta eã struaturam habere debent, vt vna scala tantum, aut duabus ad summum eò ascendantur: sicquæ illarum foribus aditibusq; clausis, nullus alius præterea aditus in-

fit, per quem ad ipsa atria ingressus ascensu siue fiat.

#### De latrinis.

**H**IS dormitionis locis situ semoto latrinæ proximæ ita construatur, vt certa sedilia habeant: quæ singula intermedio aliquo interiecto distincta, secessum exiguum præbeant, in quæ monialis se conijciat, ne à ceteris conspiciatur.

Totus verò is latrinarum locus, non modò conclusus, sed benè contipatus esse debet, vt neque conspectus existat, neque reter odor.

#### De loco scholæ Nouitiarum.

**S**itu ab atrijs cubicularibus separato, & à monialium frequentia paululum semoto, gynæcœcum nouitiarum construatur; locus scilicet scholæ, vbi illæ degant.

Qui locus amplè patere debet; tum ad eam partem vergat, quæ cœli salubritatem habeat: benè verò conclusus, latrinas suas habeat, & ceteras partes vsui necessario accommodatas.

#### De Vestiario.

**L**oco aprico extrui debet vestiariũ commune, ab utroque latere fenestratum: in quo vestiario lanæ vestimenta tantum seruentur.

Vndiq; cinctum sit armarijs altitudine quinque, aut sex cubitorum, ordine præterea, recte q; distinctis: quæ singula forulos suos habeant tantæ longitudinis, quanta stata longitudo est vestitus monialis.

Pro vestiarij foribus porticus longè ducta, & aperta sit: vbi forinsecus instrumentis ferreis parieti certo interuallo suffixis, collocatisq; inter vnum alterũque instrumentum longurijs perticisve transuersalibus, vestimenta certo tẽpore inde pendeant, atque excutiantur.

Huic vestiario cella item vestitaria iuncta esse debet: in qua vestes lineæ, omnique lineæ supellex recondantur: si modò vestiariũ supra demonstratum eam magnitudine non sit, quæ capfas armariave supellectilis lineæ distinctè capiat.



At verò vbi potest, potius esse debet, vt hæc à vestiario distincta sit. Tertia præterea cella vestiaria adiungi debet, suis itidem armarijs vndiq; instructa: vbi lodices, calcitræ, cæteraq; id generis obstragula, ac vestes pellivæ, distinctè distributèq; reponantur. At cella hæc non situ aprico, sed algido potius instruenda est.

## De granarijs.

**G**ranaria struantur loco ianue proximo: eorum scalæ situ conspicuo sint; fores benè firmæ; duplici clauæ, sera, & vecte singulæ claudantur.

## De Valetudinario.

**E**xpositis inferioribus, & superioribus monasterij partibus, reliqua etiam loca, & domicilia sunt, quæ ab illis seuncta aliquo modo esse debent.

Ac primùm quidem de valetudinario dicimus.

Porrò valetudinarium (locus is scilicet, in quo valetudinaria, ægritudineq; affectæ, vel conualescentes moniales curantur) exstrui debet in situ non interiori monasterij, sed paululò remotiori, quamproximè ianue auditorij, at loco in primis salubri.

Hæc valetudinarij structura partes itè habeat tam superiores, tàm inferiores; triclinium vfdelicet longè patens cubitis circiter viginti; latè præ ratione longitudinis; coquinam vnã, cellam præptuariam vnã, cellam lauacionis vnã, cohortem cum suo puteo vnã, lignile vnum, porticum vnã, cellas binas ternasve inferiores; quæ mediocri magnitudine singulæ tres lectos capiant, & eam minimum præterea habeant, aut singulæ, aut binæ.

A superiori autem parte cellæ cubiculares sint quatuor, aut sex, moderata etiam amplitudine: eaq; item, vt supra camino instructæ sint: habeantque secessum latrinarum paulò supra descriptum.

Vbi præterea ad valetudinarij huius vsu locum parvulo viridario dari potest; benè consultum esset valetudinarie huic structuræ: cuius totus ambitus ostio tantùm cõstans, foribus vnis claudatur.

## De loco educationis puellarum.

**Q**uibus in monasterijs puellas in monialium disciplinã traditas educari permissum est; ibi certùm iis domicilium construatur, vbi distinctè à monialibus alantur: omniaque ab illis præter ecclesiam separata habeant.

Id sanè domicilium partibus his cõstet; atrioo exiguo cum suo camino, cella peritaria, cohorte cum puteo, & parua porticu lignili, & cubiculis inferioribus binis; à superiori parte, atrio dormitio nis, aut aliquot grandioribus, quæ singula lectulos tres saltem, quatuorve, aut plures, nec pauciores capiant.

Huius domicilij circuitus vnis tantùm foribus contineatur.

Viridarii etiam locus vbi esse potest, commodo erit.

## De hortis, viridariove monasterii.

**H**orti monialium ob multa violantia clausuræ pericula non esse debent vasta amplitudine.

Cum enim præ vastitate non facillè possint parietibus cingij; id fit, vt in monasterij partes vulgò pateat, & aditus, & prospectus.

Sint igitur spatio centùm cubitorum, aut paulò amplius ab omni parte.

Vndiq; parietibus cingantur, crassitudine cubiti vnus, & vnciarum octo; altitudine non minori sexdecim cubitis, eaq; à superficie terræ ducta.

Nec verò etiam si horti circumcingi cõmodè facileq; possint, præscriptum cubitorum centum spatium eos excedere conueniens est; vt nè cum præ magnitudine, à monialibus, conuersivæ quæ intra monasterij claustra degunt, coli conserive non queant, necesse sit contra clausuræ regulas rusticos exterosque operarios ad eorum culturam constitutionemve introduci.

Ne taleq; ne plantæ aliæ, ne vites, ne arbores cuiusvis generis propè parietes conferantur intrinsecus, neque verò extrinsecus, nisi interuallo distantes cubitorum ad minimum sex.

Neque in eorum fundo arbores grandiores serantur; sed arbuta humiliora, eaq; rariora.

Nec

Nec lignorum strues in ijs fiat, non paleæ, non scani aceruus.

Non præterea tugurium vllum, non casa quaruis vel humillima struatur.

Nec fœni scio, prato ve fundus eorum destinetur: sed perpetuò eiusmodi sit, in quo olera, herbae medicæ, & coquinariæ, non voluptuariæ ferantur.

Si per hortos fossa canalibus ve aquæ deductio sit: cautio sit, vt ille aquæ ductus firmissimè operiatur aliquo lapideo cæmentitiove opere, ducto ab ore quo aqua influit, longè cubitos circiter sex & foris & intus dimensos.

Os verò, per quod ab initio illius lapidei operis confluit aqua, & alterum vnde in illius fines effluit, cancellis ferreis vtrinque muniatur.

Itemque fiat in extrema ea hortorum parte vnde foras erumpit.

Rursus idem aquæ ductus sine vllis clathratis cancellis fieri poterit, si totus tanto spatio tegatur, quantum hortorum fundus est, per quem aqua fluit.

Si quam autem deductionem inde fieri opus est, vel ad hortorum irrigationem, vel ad layationis vsum; riuuli aliquot deriuari per minuta foramina poterunt quò volunt, rursusque ad aquæ ductum reduci.

De carcere, & loco secessionis.

**M**onasteria, vt olim etiam habuerunt, carcerem firmum habere debent: in quem, si que monialis aliquando à disciplina aberrans flagitiosè egerit, pro culpæ grauitate detudatur.

Porro carcer à via publica, & ab ædibus item vicinæ proculerit, sed intima superioris monasterij parte, quæ à monialium etiam frequentia & concursu remotior sit.

Bene munitus, bene materiatus, beneque fornicatus: fenestriculam cubitalem firmiter clathratam atque à solo exstructam habeat, vnde parum luminis excipiantur: ostioli item binis muniti valuis in quibus interioribus fenestellula minima in sit, binisque feris, ac binis vestibus clausi.

Compedes etiam, vt in antiquis etiam regulis cautum est, habeat, & manicas ferreas; quibus vinciantur cum opus est, in carcerem coniecta.

Nec verò in carcere caminus, neque foramen aliud insit; nisi latrina, angustiis tubulis substructa.

Non longè à carcere locus secessionis sit: ijsque & liberior & commodior quæ structura carceris.

Quo in loco moniales à carceris semotè, aliquando salutarem penitentiam obleuiore culpas peragant.

De loco audiendæ sacræ confessionis.

**A**tque hætenus quidem de monasterij partibus: nunc sequitur vt dicamus de locis adiunctis.

Est igitur primum habenda ratio loci, in quo moniales confitentur.

Cuius loci situs paululò ab ecclesia remotior, cellam alteram forissecus iunctam habere debet, vbi confessarius sacerdos earum confessiones audiat.

Locus porro interior vbi moniales confitentur à parte inferiori sit, nè scale ascensu opus habeant: bene verò pauimentatus sit, aut opere fornicato subtus conflet, nè humidus vlginosusve sit; ab omni item strepitu valde admodum semotus, atque adeo vndique accommodatus, vt ne monialis confitendo audiri à quoquam alio quam à confessario possit.

Ab omni denique parte spatium habeat cubitorum circiter sex aut septem.

Confessarij sacerdotis item cella, eodem modo & forma extrinsecus iuncta struat.

In pariete vtriusque loci cellæve communis, fiat ad confessionis vsum fenestricula altitudine cubitali ad summum, latitudine vinciarum circiter sexdecim pro altitudinis ratione.

Quæ fenestricula, & clathratis ferreis, & lamina ferrea cum suis minutis foraminibus, & tela præterea nigra affixa bene munita nullo modo aperiri possit.

Eodem in pariete rota inesse poterit, dimidio minuscula quam alia præfinitæ: hæcque rota ad vsum exponendi confessario, si quas res necessarias habet.

Eademque rota, firmiter beneque instructa extet, vt de alijs rotis demonstratū est.

De diuerforio confessarij.

**E**xedificetur præterea diuerforiū, in situ intra ianuam exteriorè viæ publicæ iunctam, & illam interiorè qua

ad

ad claustrum aditus sit; interiectio; cellis duabus, vna inferiori, altera superiori cōstans: quibus confessarius sacerdos vti possit, cum pernoctare necesse habet, vt moniali cuiusdam periculosè egrotanti præsto sit sanctissimorum sacramentorum ministratio.

Hoc diuerforium, & caminum, & latrinam, & alia vsui necessario accommodata habeat; at rotam, nullamque fenestram omnino, vnde vel aspectus, vel collocutio quouis vnquam prætextu esse possit.

Nec verò plures habeat cellas præter illas duas; vt omnis alia conuersationis aut commercij occasio ab eo remota ex clausura sit: neque denique vllum præterea locum vel exiguum.

Ita enim omnino fiet, vt minor, aut nulla cōmoditas occasioe relinquatur in eo cōmorandi, nisi necessaria de causa.

Quæ ratio locum etiam habeat in diuerforij sequentis ædificatione.

De diuerforio exteriori famulorum, & colonorum aduentantium.

**D**iuerforium in eodem intermedio situ, quod aduentantibus colonis, famulisque monialium vsui sit, construatur, quod diuerforium cubicula bina trinave habeat, at nullam nec rotam, neque collocutionis fenestram.

Neque ab re esset, vt id à monasterij edificio disinctum aliquo exiguo spatio sit, vt ne saltem rectis coniungatur.

De domicilio Conuersarum.

**D**omicilij extra clausuræ fines possit, in quo Conuersæ nõ professæ habitent, ea ratio in illius ædificatione haberi debet, vt scilicet intrinsecus à parte monialium claudatur, aperiaturve. Id verò præstari poterit ratione infra demonstrata.

In illo ipso intermedio situ extra clausuræ fines domicilium fiat, quod Conuersas tot capiat, quod ad monasterij vsu opus esse verisimile est.

Habeat hæc domicilij habitatio singulas partes necessarias; locum dormitionis scilicet communem, coquinam, puteum, lignile, & alia item loca vsui necessario opportuna.

Porro in huius domicilij extruictione hæc cautio sit, vt ne in parietibus exterioribus ad viam publicam spectantibus fenestra vlla, ac ne foratus quidem exiguus, conspiciendum ve minimum fiat.

Vt deinde vna tantum ianua cōstet: quæ prope clausuræ monasterij parietem, qui cunq; ille sit, extruatur.

Fiat in eo clausuræ pariete foratus amplitudine vnciarum circiter sex: per quæ vectis ligneus eadem crassitudine transmissus, idemq; in transversum actus ac paululum in parietem qui è regione est, iniectus, firmiter illius ianuaræ valuas occludat.

In cuius vectis summa parte quæ à monialibus est, clausura feræq; ita apte accommodata sit, vt intrinsecus mouiales facile aperiatur, rursusq; claudatur.

Si verò ea transversarii vectis ratione confici non potest, vt ianua illa occludatur; hoc etiam fieri facile erit: vt vectis non transversus, sed recta ad ianuam quæ è foratus regione est, ductus à summa parte valuis innixus atque oppositus, firmè occludat.

In hoc domicilio à late re monasterij fenestricula exigua, quæ non amplius vndiq; pateat quinque aut sex vncijs, munita etiam lamina ferrea, plenaq; minutis foraminibus extruenda est: vnde præfecta Conuersas euocet, ac spectet ad domi sint, cum ianua clausa est; tum illæ foras discessuræ, benedictionem missionemq; inde ab ea petant.

Cautiones quædam in tota monasterij ædificatione.

**P**rimò in tota monasterij ædificatione diligens clausuræ ratio habeatur; vt scilicet illius situs quantuscunq; est, omni ex parte idoneis beneq; materialibus parietibus cōcludatur: quorum præterea altitudo sit cubitorum ad minimum viginti quatuor, exceptis hortorum muris, quorum altitudinem supra demonstrauimus: crassitudo cubitalis, ac paulò etiã maior, at minor certè nullo modo. Porro à parietibus exterioribus nullus insit caminus in ijs effusus: at eminens, è superficieque intrinsecus extans non vetatur; nulla præterea fenestra, non fenestricula, non conspiciendum, ac ne ri-

mula

mula quidem, unde etiam minutus prospectus sit.

In singulis monasterij partibus ad communem usum extruendis vt. potè Refectorio, Capituli atrio, Valetudinario, Dormitorio, Calefactionis, Lauationisque manuum, & laborum item loco, atque alijs id generis, tum in primis in Ecclesiæ interioris edificatione, non negligenda sed adhibenda ea cautio est, vt singula eiusmodi loca, ad quæ moniales frequentes conuenire solent, ampla structura sint; quæ commodè capiant, non modò omnes quæ iam sunt, sed aliquanto plures, quas etiam deinceps in idem monasterium recipi pro facultatum elemosinarumque ratione & accessione posse verisimile est.

Illà porrò etiã cautio vel maxima sit, vt ne in vlla colloquij exteriori cella, nec in vllò vel confessarij sacerdotis, vel colonorum, famulorumve aduenientium diuersorio, neque in vlla alia quavis monasterij parte exteriori, edificatione ve extrinsecus facta, loc⁹ superior quisquam sit, ad quem monialibus aditus detur: nec rursus in vlla monasterij parte interiori locus item superior, quo alijs accessus ingressusve esse vllò modo possit.

Est illud præterea cauendum, vt quicumque in monasterio sunt aditus vestibula, angiportus, aliaque id generis, nè tenebrosa, nè subobscura sint, sed dilucida & illustria.

In omni denique, vel anguli, vel aditus, vel scalæ, vel atrij monasterij capite, sacra aliqua imago piè expressa extet.

CAUTIONES QVÆDAM DE  
omni Ecclesiastica edificatione.

Cap. XXXIII.

**H**Æc de fabrica exteriori & interiori Ecclesiæ, de cœmeterijs, de sacristia, alijsque partibus edificationi Ecclesiasticæ adiunctis, de Ecclesiæ simplicis, & oratorij extruentione, ac rursus de Ecclesiæ, monasterijque monialium structura, speciatim supra locis suis scripsimus. Illud verò generatim ad omnem Ecclesiasticam edificationem attinet, vt scilicet, nè que in Ecclesiæ, cappellæ, altaris partisve cuiusvis alterius, quæ ipsius Ec-

clesiæ usum decoremve attingat: fabrica, ornatuque, nihil operis quale quale sit, statuat, hat, inscribatur, eni, gatur, exprimat, vt; quod à Christiana pietate & religione remotum, aut quod profanum, quod deforme, quod voluptuariū, quod turpe vel obscenum sit, quod vulgarem magnificentiam, aut familiarū insignia ostentans, gentiliij operis speciem præbeat.

Non vetatur tamen pro fabricæ firmitudine (si ita architectonica ratio aliquando postulat) aliqua structura, generis vel doricij, vel ionici, vel corinthij, vel alterius huiusmodi operis.

Id omne cum fabricæ præfecti architectivæ, antequam edificationis initium fiat consultò caueant: tum in primis curæ episcopalis est videre, nè quid tale ab ijs in opere ecclesiastico committatur.

Id denique in huiusce etiam libri cōclusionem ponimus, vt cum de dote vel Ecclesiæ, vel sacello, vel altari certa constituenda, iure canonum cautum sit; Episcopus priusquam eiusmodi Ecclesiasticæ edificationis aut foundationis facultatē det, eo de genere diligenter consulto, & idonea suspensione publicisque tabulis caueat, ex eorūdem canonū præscripto.

INSTRVCTIONVM  
Suppellectilis Ecclesiasticæ

LIBER II.



**S**UPERIORI libro modum formamque exposuimus fabricæ exterioris atque interioris: nunc sanè consequens est alter liber, in quo de Ecclesiastica supellectile dicemus.

Ac primò quidem simplicem illius apparatus, sacris ministerijs, atque vniuscuiusque Ecclesiæ partibus, & pro ministeriorum numero, & pro Ecclesiarum etiam ipsarum ratione ac dignitate congruentem vno in cōspectu constituimus. Deinde, quoniam pro officiorum item solennitate, & pro varia ratione, sacram illam supellectilem, cum multiplicem, variam, coloribusque distinctam, tū quibusdam stans diebus pretiosorem esse conuenit; operepretium fuit certis regulis